





QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

1774, 10.

AN

QVARTA FALCIDIA HEREDI  
ET AB HEREDE IN RE  
SINGVLARI INSTITVTO  
PRAESTANDA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XVI FEBR. ANNO MDCCCLXXIV.

DEFENDET


IOANNES CHRISTOPHORVS HOERNIG

GROSROEHRSDORF, MISN.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



OPUSCULO  
IN HIS CONTROVERSIIS

AN  
QUARTA FALCIDA HEREDI  
ET AB HEREDIBUS IN RE  
SINGULARI INSTITUTO  
PRAGMATA

ILLUSTRIS IUSTITIAE ORDINIS CANTU  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HERR BREUING  
PROFESSORIS ORDINIS IURIS ET LEGUM  
ET SOCIETATIS PRAESIDENTIS

IN ACADEMIA IURIDICA  
DIE XXIIII JUNII MDCCCLXXXIII  
PUBLI

JOHANNES CHRISTOPHORUS HERRNIG  
ORDINARIUS IURIS

LIPSIAE  
EX OFFICINA JACOBENIANA





AN  
QVARTA FALCIDIA HEREDI ET AB  
HEREDE IN RE SINGVLARI INSTITVTO  
PRAESTANDA.

---



§. I.

Quae olim Lex *Furia* atque Lex *Voconia* statuerant ratione legatorum, haud aliam habuere causam, quam eam quam postea Lex *Falcidia* habuit, quae testatorum ultimis voluntatibus, ne destituerentur, accuratius prospexit. Dubitatur, cuius gratia tantam impenderint curam Romani in hoc iure sanciendo, vtrum testatoris, an vero heredum. Plerique heredum causa hoc ius legis *Falcidiae* introductum esse arbitrantur, quippe eo efficiebatur, vt saltem ex hereditate, in qua quis heres institutus, quartam caperet. Alii, vt *TREVTLERVS* in *Disputat.* potius testatoris ipsius causa *Falcidiam* legem datam esse confirmant, quam opinionem refutare instituit *BACHOVIVS ad Treutl. Vol. II. Disp. XIV. Th. I. Lit. D* Sed quamuis negari nequit, hac ipsa lege heredibus succurri, ne inano nomine quis alterius heres compelleretur, cui ex ipsa sibi delata hereditate nihil superfit, qui omnia ex testatoris arbitrio legatariis vel fideicom-



missariis, deducto prius aere alieno, perfoluerat; tamen ipsius Treuderi opinionem haud omnino improbandam putem. Si enim ad historiam legum antea memoratarum respicimus, apparet, sollicitos fuisse Romanos, quo efficerent, ne destituerentur amplius testamenta, quod fieri solebat, si nihil ad heredem in testamento institutum veniret. Volebant itaque, vt aliquid lucri ex hereditate caperet heres, cuius cupidine alliceretur ad eam adeundam. Patet huius asserti veritas ex legis Furiae argumento: **NE LICERET PLVS, QVAM MILLE ASSES LEGATI NOMINE CAPERE.** caet. Hic ne heredum quidem mentio facta expresse, intentio vero, vt aliquid, quod ex legatis superesset, ad heredem veniret, quo causam adeundae hereditatis haberet, fatis apparet.

§. II.

At maxime contrarius esse videtur Treutlerianae sententiae **PAVLVS** in *L. 71. π. ad L. Falcid.* Ait: *Potest heres in vendenda hereditate cauere, vt et Lege Falcidia interueniente, solida legata praestentur, quia LEX HEREDIS CAUSSA LATA est.* Sed his non obstantibus salua erunt, quae ante dicta sunt; nemo enim negat ex Falcidia lege fauorem heredi accedere, intuitu legatariorum, quorum rationem fauorabilem lex non habuit. His enim adimit partem, illi contra, quod adimit, tribuit. Sed alius fauor est, quae secundario alicui ex lege venit, alius qui primario legislationi causam dedit. Destituebantur testamenta, haec tanquam testatorum vltimam voluntatem sanctam, cum legis haberet virtutem, seruari volebant, causam deprehendebant in eo, quod prae multitudine et magnitudine legatorum nihil ad heredem veniret, qui propterea delaram hereditatem repudiabat, ne absque omni lucro sese adeundo obligaret; quippe aditioni inerat obligatio talis, qualis ex contractu venire solet. Putabant effici posse, vt voluntates vltimae maneat, si heredi lucrum tribuerent, idque praestitit Falcidia lex. Testatoris ergo, vt vltima voluntas exitum haberet, primarius fauor, causa legislatio-  
nis,



nis; medium vero, quo is obtineretur, erat lucrum veniens ad heredem, secundarius fauor. Et sic recte dixerat Paulus, *legem heredis causa latam esse*. Forſan inde venit, vt poſtea permiſſum ſit teſtatori, falcidiae quartae detractiorem prohibere, quippe fauori, ob quam lex lata, renunciare poterat.

§. III.

Vt ergo heres ex voluntate teſtatoris hereditatem haberet, quarta ſaltem ipſi relinquenda erat, quam, ſi ſaluam non haberet, ob legata vel ſingularia fideicommiſſa, quartae, quantum deerat, de iis recte detrahebat. Solus ergo heres detrahit, non alius, vt legatarius, vel fideicommiſſarius, quippe, ſi repudient legatum vel fideicommiſſum, fieri id poſſet, ſaluo manente teſtamento. Conſentit *ULPIANVS L. 48. §. I. π. ad Leg. Falcid.* Ait: *Nunquam legatarius vel fideicommiſſarius, licet ex Trebelliano Senatusconſulto reſtituitur ei hereditas, utitur legis Falcidiae beneficio.*

§. IV.

Sed cum heredum variae ſpecies, *alii* qui in vniuerſitate ſcripti, *alii* quibus certa res aut quantitas relicta; videndum, quibus Falcidiae detractio competat. De his, qui ex aſſe heredes inſtituti, vel qui in certa portione, vtpote in triente vel ſemiſſi, heredes ſcripti, nihil eſt, quod dubitemus, eos detrahere poſſe quartam. At de iis, qui in re certa inſtituti, vel in quantitate certa, an et in his Falcidiae ratio ponenda ſit, videamus. In hac quaefitione varia themata ſeparanda erunt. Aut haber coheredem in vniuerſitate inſtitutum, aut coheredem aequae in re ſingulari ſcriptum, aut plane non haber coheredem, vel quod nullus ſcriptus; vel quod, qui ſcriptus erat, hereditatem non adierat. Singula Themata tractabimus.

§. V.

Quid ſi Titius heres inſtitutus ſit in re certa vel quantitate neque coheredem habeat; an, ſi hereditas onerata ſit legatis vel fideicommiſſis, ſaluam habeat quartam? Conſtat enim, eum



qui in re certa institutus, absque coherede, videri ex asse institutum, cum nemo pro parte testatus et intestatus decedere posset. Hinc *ULPIANVS* in *L. I. §. 4. π. de hered. instit.* Ait: *Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus, valet institutio, detracta fundi mentione.* Si ergo fundi mentio detrahenda, sola heredis institutio supererit, et sic institutus Titius ex asse heres erit. Neque res aliter comparata, si quis in certa quantitate e. g. *Titius heres esto in ducentis*, institutus, neque adsit coheres scriprus, detracta quantitatis mentione, heres erit ex asse. Iam si dabimus, testatorem, qui heredem in certa re solum instituerat, nullo dato coherede, tot legatis onerasse hereditatem, vt praeter eam rem in qua institutus, parum vel nihil ex defuncti patrimonio superfit, quaeritur, an Falcidiam detrahere possit? Et dubitandum non est, cum mentio rei certae detrahenda, atque heres in omnia defuncti bona succedat, quin, si saluam non habeat, deducere possit Falcidiam quartam. At quid? Si ita feripserit testator: *Caius heres esto in fundo meo, reliqua bona legatis exhausta, fundi aestimatio sit quingentorum, cum tota hereditas mille comprehendat; facile patet, cum in re, in qua institutus, quamuis fundi mentio detrahatur, plus habeat, quam per legem falcidiam habere potuisset, cessare detractionem falcidiae.*

#### §. VI.

Altera species est, si heres vnus in certa re institutus sit, alter vero heres ex asse, eiusque, qui ex asse heres institutus erat portio legatis prope exhausta. Hic repudiat hereditatem sibi testamento relictam, an iure accrescendi fruatur coheres, qui in certa re institutus fuerat, quaeritur. Difficilis haec est quaestio et admodum controuersa. Multum de ea disputat *BACHOVIVS ad Treutlerum Vol. XII. th. I. lit. a. inf.* qui et contra *LYCKLAMAE* opinionem adductam *Disp. XIV. thes. X. lit. K.* argumenta profert. Non est dubium, si praemortuo herede ante testatorem





torem solus superfit heres in re certa institutus, tunc iure accrescendi gaudere, aut quia perinde videtur, ac si solus scriptus sit heres, integram capere hereditatem magis ex iure non decrescendi. Sed si repudiauerat heres ex asse institutus hereditatem, tunc haud pauci negant heredi in certa re instituto ius accrescendi. Causam eam exponit *Bachovius*, quippe cum tempore mortis adfit heres vniuersalis, eum qui in re certa scriptus est, statim haberi et adsumere naturam legatarii, quae ex accidenti, quod alter postea repudiauit, mutari non posse videatur. Equidem verum est, heredem in re certa institutum legatarii loco haberi, vt *IUSTINIANVS* in *L. 13. C. de hered. instit.* scribit: *Quotiens certi quidem ex certa re scripti sunt heredes, vel certis rebus pro sua institutione contenti esse iussi sunt, QVOS LEGATARIORVM LOCO HABERI certum est. caet. sed diuersum tamen esse, legatarii loco haberi et legatarium esse, putauerim.* Quapropter hereo subscribere sententiae *Bachouianae*. Nam licet superuiuat testatorem scriptus heres, tamen non prius heres erit, vt in re certa institutus legatarii loco haberi possit, quam si adierit hereditatem. Et cur dignum habuisset testator, cui titulum heredis adscriberet, si legatarium tantum esse voluisset. Est vique heres in re certa institutus legatarii loco intuitu coheredis, vt actiones hereditarias habere nequeat; at heres tamen est, licet in re singulari, et cum nullibi in legibus scriptum sit, vt testamentum destituatur si heres ex asse scriptus repudiet hereditatem, quamuis superfit coheres, sed in re certa tantum institutus; verior videtur communis opinio. Quapropter hereditas accrescet heredi in re certa instituto, et si saluam haud habeat *falcidiam*, nihil obstabit, quominus ex legatis deducat quartam.

§. VII.

Tertia species est, si heres in re certa coheredem habeat, aequè in re certa institutum. Causam hanc tractat *IAVOLENVS* in *L. 11. π. de hered. instit.* Ait: *ATTIVS FVNDI COR-*



*CORNELIANI HERES ESTO MIHI, DVO TITII ILLIUS INSVLAE HEREDES SVNTO.* Habebant duo Titii semissem, Attius semissem, idque Proculo placet, quid tibi videtur, respondit, vera est Proculi opinio. Si itaque vtriusque rei certae loco semissem capiat Attius et, qui re coniuncti sunt, Titii, detrahatur mentio fundi Corneliani et Insulae illius. Si ergo reliqua hereditas legatis exhausta et salua haud sit in vtroque semissemi falcidia, idem ipsis iure iam licebit, quod licuisset, si Attius et duo Titii, qui quasi vniam constituunt personam cum vna propositione coniungantur, simpliciter heredes scripti fuissent et recte detrahent quartam falcidiam

§. VIII.


Tandem quarta species erit: heres in re certa institutus coheredem habeat vniuersalem qui adiit hereditatem; hac specie certum est, ob *IUSTINIANI* in *c. l. 13.* auctoritatem, legatarii loco habendum esse, qui in re certa institutus erat. Quapropter, si contingat, vt rei, in qua heres est, aestimatio non excedat quingentorum aestimationem, cum quartae falcidiae portio duo millia constituat, nunquam eidem ex lege Falcidia succurretur, neque amplius quid ex hereditate consequitur, quam rem, quae titulo heredis eidem relicta. Et quia cum legatariis equiparatur, hi vero ex *L. 47. §. 1. π. ad L. Falc.* legis falcidiae beneficio non vtuntur, neque heres in re certa scriptus eo vtatur, sed falcidiae ratio in solo coherede ponenda. Nec dubitandum, si alter coheres, qui in ipsa vniuersitate bonorum scriptus est, grauatus adeo sit legatis atque fideicommissis, vt propterea falcidiam quartam haud saluam habeat, ad eam supplendam a coherede in re certa instituto non minus, quam a legatariis reliquis ratam exigere posse, est enim legatarii loco, eorumque tantum iure fruitur.

VD  
18

ULB Halle  
002 689 030

3







8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

1774, 10.

AN  
QVARTA FALCIDIA HEREDI  
ET AB HEREDE IN RE  
SINGVLARI INSTITVTO  
PRAESTANDA

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XVI FEBR. ANNO MDCCCLXXIV.  
DEFENDET

IOANNES CHRISTOPHORVS HOERNIG  
GROSROEHRSDORF. MISN.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

